

si uis esse aliquid. Probitas laudatur et alget.  
 Criminibus debent hortos, praetoria, mensas,  
 argentum uetus et stantem extra pocula caprum. 75  
 Quem patitur dormire nurus corruptor auarae,  
 quem sponsae turpes et prætextatus adulter?  
 Si natura negat, facit indignatio uersum  
 qualemcumque potest, quales ego uel Cluuienus. 80

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor  
 nauigio montem ascendit sortesque poposcit  
 paulatimque anima caluerunt mollia saxa  
 et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,  
 quidquid agunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas, 85  
 gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.  
 Et quando uberior uitiorum copia? Quando  
 maior auaritiae patuit sinus? Alea quando  
 hos animos? Neque enim loculis comitantibus itur  
 ad casum tabulae, posita sed luditur arca. 90  
 Proelia quanta illic dispensatore uidebis  
 armiger! Simplexne furor sestertia centum  
 perdere et horrenti tunicam non reddere seruo?  
 Quis totidem erexit uillas, quis fercula septem  
 secreto cenauit auus? Nunc sportula primo 95  
 limine parua sedet turbae rapienda togatae.  
 Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat ne  
 suppositus uenias ac falso nomine poscas.  
 Agnitus accipies. Iubet a praecone uocari  
 ipsos Troiugenas, nam uexant limen et ipsi  
 nobiscum. « Da praetori, da deinde tribuno. » 100  
 Sed libertinus prior est. « Prior, inquit, ego adsum.